

quia non est necesse omnem operationem incipientem cum esse rei, esse solum a generante, seu ab auctore talis naturæ, nisi tantum in his quæ a solo generante pendent, et quasi ad ipsam generationem ejusque complementum pertinent, non ad ea quæ fiunt a generante, seu ab auctore naturæ simul cum ipsa re quæ generatur, sicut est actus liber et vitalis, si quidem pro ea parte quæ pendet ab ipsa creatura poterit defectuosa esse. Et similiter bene intelligitur quod istæ actiones tribuntur auctori naturæ secundum eam rationem qua sunt ab ipso, et secundum principia ab eo data, et quæ sibi subordinantur, non secundum ea quæ Deo non subordinantur, scilicet secundum principia defectibilia: sic enim necesse non est quod moveantur a Deo: ergo cum in primo esse concurrant ista principia, scilicet quæ participantur a Deo, et quæ sunt defectibilia a Deo, poterit Angelus secundum prima a Deo moveri, et non secundum alia, sed deficere sine hoc quod id refundatur in Deum qui auctor deficientiæ non est, sed peccabit ut motus, et applicatus ex propriis, quæ tunc cognoscit, vel ex suggestionem alterius, qui sibi potest in illo instanti loqui, ut supra vidimus. Imo cum Angelus possit circa plura operari, quæ sibi tunc manifestantur, non est necesse quod Deus moveat ordinate, et recte ipsum Angelum quoad omnia, sed potest movere illum circa ea quæ sunt ordinis naturalis, et permittit quod cadat circa supernaturalia: nulla enim in hoc apparet repugnantia, et salvatur quod operatio illa sit a Deo, sed non quoad omnia. Denique, urgetur semper illa paritas de instanti primo cum instanti secundo, et reliquis totius vitæ, et operatione illa prima, quæ incipit cum esse rei, et de prima, quæ incipit in quovis alio ne-

gotio: non enim est major ratio cur illa specialiter sit a Deo, et non alia qua incipimus quodlibet aliud negotium, in quo tamen sæpe incipimus peccando, et pravum finem desiderando. Est etiam paritas in primo instanti, et in reliquis, quia Angelus habuit in primo instanti easdem potentias quoad intrinseca, et quoad defectibilitatem atque in secundo instanti. Habuit in primo instanti plenum usum cognitionis, et omnia objecta cognovit, non solum quoad verum, bonum, et honestum, sed etiam quoad apparens. Indigentia etiam determinationis, et motus Dei non minus concurrat, et necessaria fuit in secundo instanti, quam in primo. Cur ergo determinatio, et motio facta in secundo instanti non refunditur in Deum, et in primo instanti refunditur? Et cur propositio boni apparentis facta in secundo instanti movere potest ad malum, et cognita in primo instanti non potest?

Respondetur negando minorem.

XLI. Ad primam probationem respondetur, quod ex sola prædeterminatione ad actum materiale peccati, vel ex positione cogitationis quoad entitatem unde potest oriri peccatum, nulla refunditur malitia in Deum, quando supponitur creatura in tali statu, quod possit se movere, et formare dictamen defectuosum. Non ergo negamus quod sive in primo, sive in secundo instanti prædeterminatio Dei sive per physicam immutationem ad materiale peccati, sive per permissionem malitiæ, aut per ipsius cogitationis productionem in intellectu quantum ad entitatem suam nihil malitiæ refundit in Deum, quia totum hoc operatur in quantum efficiens, non in quantum principium actus defectuosi. Cæterum totum hoc debet supponere ipsam creatu-

ram in statu habili, ut possit vel propria motione, vel ex alterius suggestionem formare dictamen defectuosum, et inconsideratum, atque ita se applicare ut peccet. Quod si hoc non potest, quia est primus actus, et nullum alium priorem supponit, ex quo possit se movere ad formandum tale dictamen, parum interest quod moveatur a Deo, vel prædeterminetur physice ad materiale peccati, si ex parte intellectus non estabilitas ut formetur a se dictamen, quia primus actus est, sed ut accipiat illud ab alio, nempe a Deo: tunc enim si cum illa prædeterminatione physica accipiat dictamen defectuosum a Deo, malitia ipsa in Deum refunditur, non quia ex prædeterminatione physica ad materiale entitatem præcise resultat malitia in Deum, sed quia totum ipsum dictamen defectuosum a Deo esse debet, quia non ab alio potest formari. Si autem dictamen defectuosum non formetur, non peccabit Angelus in primo actu propter essentialem dependentiam peccati a defectuoso dictamine, et consequenter neque prædeterminabitur a Deo ad materiale peccati.

XLII. Et cum instatur quod in aliis instantibus potest Deus sic determinare intellectum Angeli, sine hoc quod sit auctor malitiæ, respondetur quod si in aliis instantibus Deus ipse formaret dictamen defectuosum in mente Angeli, eodem modo refunderetur malitia in ipsum Deum, sicut in primo instanti. Sed quia in aliis instantibus ipse Angelus potest se movere, et vel ex propria cognitione, vel ex alterius suggestionem se applicare ad formandum sibi dictamen, ideo tunc non attribuitur defectus ipsi Deo quantumvis ad materiale peccati physice prædeterminet, vel cogitationem ipsam quoad physicam

entitatem producat. Et cum dicitur quod ad peccatum nihil aliud requiritur quam quod Deus permittat malitiam cum prædeterminatione, et concursu ad materiale peccati, ex nulla refunditur malitia in Deum. Respondetur non amplius requiri in subjecto potente se movere, et formare dictamen defectuosum: in eo autem quod non potest, vel pro ea duratione, et tempore, quo non potest, non sufficit illa prædeterminatio, et permissio, nisi etiam adsit formatio ipsius dictaminis defectuosi; quod si formatur a Deo, deficit Deus, si non formatur a Deo pro illo instanti, non deficit creatura, quia a se formare non potest pro illo primo actu.

XLIII. Quod si instes: Quid est formare creaturam dictamen defectuosum, vel quid ad hoc requiritur præter ipsam prædeterminationem Dei cum permissione malitiæ, et quare magis refundit in Deum malitiam formatio dictaminis, quam prædeterminatio concursus, respondetur quod de hoc ultimo satis a nobis dictum est supra tractando de voluntatis divinæ, et decretorum ejus efficacia, et in physica qu. xxv, aliisque in locis. Nunc dicimus formationem dictaminis defectuosi nihil aliud esse quam propositionem objecti pravi cum practica inconsideratione. Creaturam autem formare hoc dictamen, et movere se, seu applicare ad talem formationem, requirit quod ex aliquo priori actu virtualiter saltem remanente se moveat, et applicet ad formandum dictamen sive pravum sive rectum: non enim potest ipsa potentia applicare, et movere se ad aliquid, nisi aliquo actu præcedente, quia movere, actualitatem dicit, actumque supponit per quem potentialitatem suam reducat in actum; et ita, ut jam ponderavimus, aliud est elicere

seu producere actum, aliud movere seu applicare se ad ejus elicentiam. Cum ergo in actu omnium primo, seu in primo instanti non possit supponi alius prior actus, seu alia actualitas, qua se moveat, et reducat de potentia ad actum, oportet quod in actu moveatur seu applicetur totaliter ab alio principio exteriori, etiam in formatione hujus dictaminis, sicut in motu cordis animal movetur a principio generante vitam ejus. Et ita in primo instanti neque ad bonum, neque ad defectuosum dictamen se applicare, et movere potest creatura, sed ab exteriori principio ille motus debet provenire, sicut primus motus cordis. Et sic non sufficit prædeterminatio Dei ut causæ primæ qua generaliter cum qualibet causa, et ad quemlibet actum concurrat, quia prædeterminatio neque virtutem dat agenti, neque objectum proponit, aut voluntatem dirigit, sed solum potentiam, virtutemque activam creatam applicat, et determinat juxta modum suum ut transeat ab actu primo ad secundum. Et quia physice, et entitative transit voluntas, etiam cum actum peccati elicit; ideo ad talis actus entitatem, et elicentiam indiget illa præapplicatione, nec ex illa sequitur defectus aut malitia in Deum, sed entitatis illius actus productio in quantum entitas est, sicut nec concursus simultaneus cum actu peccati refundit malitiam in Deum. At vero exercitatio, propositio objecti, suggestio, formatioque dictaminis cum non influat physice in actum, sed juxta allicentiam objecti, non respicit præcise entitatem actus, ut entitas est, sed totum quod objectum illud, et dictamen in se habet, totum imprimit voluntati. Et cum in objecto non possit separari entitas, seu substantia actus ad quem allicet, a malitia quam habet, sicut

in concursu ad entitatem præcisam actus separatur, hinc est quod si per manum Dei formatur dictamen pravum, refunditur in eum defectus, sicut si ex suggestione alterius formaretur, non vero refunditur ex eo quod physice ad entitatem concurrat.

XLIV. Ad secundam probationem respondetur generanti solum attribui illos motus, seu actus rei generatæ, qui pertinent ad constitutionem ipsius in statu convenienti, et debito ad id quod sibi connaturaliter convenit, sive operando, sive quiescendo, sicut motus gravium, et levium attribuitur generanti, quia per talem motum movetur grave ad connaturalem locum, ubi quiescere, et conservari debet, quia perfectio, et finis talium corporum consistit in ipso quiescere: et ita si generatur extra locum proprium, et motus ad talem locum dicitur naturalis non propter locum, sed propter quietem in loco. In viventibus autem, propria, et connaturalis perfectio est, quod operentur se movendo, et quia non possunt se movere nisi in quantum mota, et applicata, quæ applicatio, et motio debet fieri per aliquem motum priorem, per quem constituatur in actu seu moveatur ad se movendum: ideo pertinet ad generantem dare istum primum motum, non propter aliquam quietem, sed quia per ipsum applicatur, et movetur ad se movendum: sicut motus cordis in animali datur a generante tamquam principium vitæ, quatenus per talem motum constituitur animal in ratione moventis se. Et licet talis motus eliciatur a vivente, tamen quia primus motus est, non movet se ad illum, sed movetur ut se moveat, et quia ad connaturalem statum viventis pertinet, a generante debet esse. Quod autem facit motus cordis in animali quoad

vitam sensibilem, facit prima operatio intellectus quoad vitam intelligibilem. Quare non omnes operationes quæ incipiunt cum ipso esse attribuuntur specialiter generanti, sed solum illæ quæ se habent ut principium cæterarum, et constituunt ipsam rem genitam in statu connaturali, et habili ad se movendum, vel operandum quoad alias actiones, et motus. Calefactio enim, et illuminatio licet incipiant cum ipso esse ignis geniti, non tamen incipiunt tamquam principia seu requisita, quibus constituatur ignis in statu connaturali, et apto ad se movendum, vel ad quiescendum aut operandum alia quæ sunt perfectiones complentes ipsum statum naturalem debitum ex vi generationis; sicut etiam actiones illæ intellectus, et voluntatis, quæ post primam consequuntur, non attribuuntur generanti, sed solum illa prima qua constituitur in statu habili, et connaturali ad se movendum; sicut etiam motus vitales, qui sequuntur post motum cordis, non attribuuntur generanti, etiamsi simul tempore sint cum motu cordis. In Angelo autem quando datur prima operatio, illa constituit primum instans ad quod pertinent quæcumque sub illa operatione coordinantur. Si vero ab illa deficient, et deordinantur, jam pertinent ad aliud instans, quia operationes ipsas dividunt, non continuant.

XLV. Ad tertiam probationem respondetur verum esse quod prima operatio solum pendet a generante, seu ab auctore naturæ in his quæ ab ipso generante, et per principia ejus fiunt; non autem in his quæ ab aliis principiis pendent, si talia dantur. Negamus tamen quod in prima operatione creaturæ intellectualis, seu rei genitæ possit dari dependentia ab alio quam a generante, et a principiis a generante derivatis

quantum ad ipsam motionem seu applicationem ad operandum: quia quantumcumque in ipsa re genitentur alia principia sive defectibilia, sive non, tamen in primo instanti nulla principia creaturæ, seu rei genitæ possunt se movere, et applicare ad operandum, sed debent ab exteriori principio applicari. Et cum hoc exterius principium sit ipse Deus, qui est indefectibilis, non potest aliquod principium creaturæ a quo illa prima operatio dependet, defectuose moveri, et applicari ad operandum, licet concurrat ad eliciendum ipsam operationem: sine motione autem, et applicatione defectuosa nunquam resultat defectus, et peccatum in actione quæ a tali motione, et applicatione per se dependet, sed semper fit recta applicatio. Quod etiam currit in his quæ Angelus ex suggestione alterius, vel ex propria cognitione potest operari in illo primo instanti, quia omnia ista non potest attingere nisi vel se movendo, vel motus ab alio. Et cum non possit in primo actu se movere, necesse est quod operetur tantum ut motus a Deo, et consequenter ut recte motus, quia motus qui est tantum a Deo non potest non esse rectus.

XLVI. Ad id quod dicitur quod in illo instanti potest Angelus operari erga plura, et circa unum deficere, et non circa aliud, dicimus hoc esse impossibile, quia illa plura attingit Angelus ut coordinata, et ab uno primo principio, seu prima operatione derivata, ex qua incipit se movere: vel si demus quod illa non se habent coordinate, sed dispartate, tamen in nullo potest incipere se movere, quia eadem ratio est de uno atque de alio, sed semper in prima operatione debet reduci ad primum motum in quo non se moveat, sed moveatur ab exteriori principio,

et illud respectu Angeli est indefectibile, quia est solus Deus: sicut si fingeremus in aliquo animali esse plura corda quæ simul moverentur sine dependentia unius ab alio, sed dispartate, utrumque moveretur immediate a generante, nec posset in aliquo esse defectus, nisi in generante defectus esset. Sic dicendum est si fingeremus in Angelo vel creatura intellectuali esse plures actus, seu motus, quorum quilibet esset prima operatio, non dependens ab alia, in utraque immediate moveretur a Deo, et non posset esse defectus in illo, prout sic a Deo applicaretur. Si autem solum est una operatio prima, in qua Angelus immediate movetur a suo generante Deo, et reliqua omnia, quæ intelligit, seu operatur derivantur ex ista prima operatione, non potest intelligi quod in reliquis peccet, quamdiu operatur illa ut subordinata primæ quæ pro illo primo instanti recta est, ut pote subordinata Deo. Et quidem potest Deus non movere Angelum ad objecta supernaturalia, sed tantum ad naturalia, sed in hac denegatione supernaturalium, nullum erit peccatum, quia pura negatio est: sed si ve Deus moveat ad supernaturalia, sive ad naturalia tantum, hoc ipso quod immediate per se movet tamquam formans, et dans dictamen illius primæ operationis, non potest ibi defectus incidere, et consequenter neque in actu voluntatis in quantum ex tali motione, et dictamine derivatur.

XLVII. Denique, ad paritatem illam quæ fit inter primum, et secundum instans Angeli operantis, jam sæpe respondimus: parificari quidem ista instantia quoad intrinsicam entitatem, et defectibilitatem potentiarum, et quoad perfectiones ex parte modi, specierum, et luminis ad intelligendum, et respectu

etiam objectorum quoad bonum, et malum quæ quasi speculative intelliguntur. Non enim est dubium quod in primo instanti intelligit Angelus peccata, et vitia, sicut et virtutes, et bonum apparens, sicut et honestum speculative, et quoad quidditates istorum: solum differentia est, quod in primo instanti, seu in prima operatione non potest operari Angelus ut se movens in intelligendo, et volendo, sed ut motus a Deo, eo quod illa est prima operatio omnium, in reliquis autem instantibus potest operari non solum ut motus a Deo, sed etiam ut se movens: et ideo illa prima operatio non potest defectuose proponere, et excitare seu dictamen defectuosum formare, quod tamen reliquæ operationes possunt, nisi gratia Dei conserventur; et ideo ex ipsa natura primæ operationis, solum quia prima est, et ex motione immediata Dei proveniens, non potest deficere; licet in reliquis parificetur cum sequentibus operationibus, quæ possunt deficere.

ARTICULUS III.

Quo genere peccati, et circa quod objectum peccaverit Angelus?

In præsentī articulo non solum agimus de genere peccati, sed etiam de specie: species enim ex objecto sumitur, nec potest declarari objectum in particulari, nisi species ipsa peccati innotescat.

GENUS PECCATI ANGELI.

I. Peccati genus potest attendi primo in ratione mortalis vel venialis. Secundo, in ratione commissionis vel omissionis.

De peccato veniali constat non

fuisse solum in Angelis, sed mortaliter peccasse. Est de fide, tum ex locis quibus Scriptura explicat genus illius peccati, ejusque effectus, tum ex damnatione secuta: constat enim diabolum esse damnatum pœna æterna, Matth. xxv: *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo, et Angelis ejus*; sed propter peccatum veniale non debetur pœna æterna: non ergo diabolus peccavit solum venialiter. Declaratur etiam hoc peccatum diaboli eo genere peccati, quod mortale peccatum significat, ut cum dicitur Joan. viii: *Ille homicida erat ab initio, et in veritate non stetit*; homicidium autem aut peccatum quod homicidio æquivalet, peccatum veniale non est. Et similiter peccatum ejus superbiæ fuisse Scriptura declarat, ut II ad Timoth. iii: *Ne in superbiam elevatus in judicium incidat diaboli*: Ecclesiastici x: *Initium omnis peccati, superbia*, constat autem primum peccatum omnium fuisse peccatum diaboli. Et superbia de suo genere peccatum mortale est: superbis enim Deus resistit, et præsertim superbia diaboli, quæ fuit pessima. Denique, nomine iniquitatis peccatum Angeli nominatur Ezechielis xxviii, quo nomine non nisi peccatum mortale designatur, dicitur autem ibi de illo Angelo, qui vocatur Cherub extentus, et protegens: *Perfectus in vis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te*: et de ejus superbia subditur: *Elevatum est cor tuum in decore tuo, perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, etc.* Quare ex omni parte constat peccatum illud mortale fuisse.

II. Statim vero offerebat illa difficultas, an habuerit Angelus peccatum aliquod veniale, licet etiam mortale habuerit, vel saltem an possit Angelus venialiter peccare? Sed hæc difficultas tractatur a D. Tho-

ma 1-2, qu. lxxxix, art. iv, et qu. vii de malo, art. ix. Et resolvit non posse, quia nunquam Angelus leviter operatur, sed incipiendo a fine, et in fine attingens media. Quare si errat voluntas, et practicus intellectus, semper errat ex fine, et si vult recte, etiam rectitudo incipit a fine; et sic in omni actu multus est Angelo, in bono magnus, et in peccato pessimus. Et in tali actu in quo est peccatum oportet quod deviatio incipiat a fine: illo enim retento, non stat circa media errare, seu in his quæ ad finem sunt, sicut nos. Quæ doctrina aliquibus aversa visa est: licet enim concedant Angelum peccare non posse venialiter ex surreptione, et indeliberatione judicii: at peccata venialia, quæ cum perfecta deliberatione fiunt, sed ex parvitate materiæ levia sunt, ut mendacium jocosum, et similia, dicunt Angelo non repugnare, quia hæc ex sua intrinseca ratione levia sunt: ergo ex eo quod ab Angelo fiant, non reddentur mortalia: quare enim repugnabit quod Angelus habeat aliquam inadvertentiam levium sufficientem ad veniale, et non ad mortale, aut quare non poterit operari cum plena consideratione mendacium, aut aliam rem levem juxta modum, et naturam talis rei levis, et non ex superbia, vel contemptu, aut alio fine mortali? Quod si non faciat, id erit ex providentia aliqua Dei extrinseca, pro hoc statu gratiæ, in quo nec hominem in statu innocentiam, nec Angelum voluit destituere congruentibus auxiliis ad non peccandum venialiter quamdiu a charitate non excidissent. Et ita tenent plerique auctores, et videri potest a quod Vasquez 1-2, q. lxxxix, art. iv, in notatione articuli; Granados 1 p. tract. xiii, disp. i, n. viii; Alarcon tract. vi de Angelis, disp. ix, c. iii, et alii.

III. Nihilominus sententia D.